



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 10. Sacerdotes sint humiles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

## CAPVT X.

*Sacerdotes sint humiles.*

Quotquot è veteribus Patribus de humilitate tractarunt, tantis eam laudibus sunt prosecuti tantique fecerunt, vt ceteris eam virtutibus pulchriorem, & ad perfectionem atque ornamentum Christiani hominis & impri-  
 mis Sacerdotis maximè necessariam iudicarent: atque vt verbis suis auctoritatem & pondus aliquod adderent, egregiis illam titulis encomiisq; exornarunt, tantaque laudum præconia in illam protulere, vt dum eadem audimus, reginam virtutum & virtutem reginarum illam appellare cogamur.

Eliphaz amicus Iobi mirabilia Dei opera excutens ait, *Qui ponit humiles in sublime, & mærentes erigit sospitate.* Iuxta hanc Philosophiam Sacerdotes, qui sese humiliant ac deiiciunt, tandem aliquando se exaltandos, quiq; in mœrore & anxietate versantur, tandè etiã recreãdos se norint. *Iob. 5. Deus exaltat humiles & mæstos consolatur.*

Tanti ait, Psalmographus, *Deus semper humilitatem fecit, vt respexerit in orationem humilium, & non spreuerit precem eorum.* Certus fit Sacerdos, se si coram Deo sese humiliauerit, semper à Deo exaudiendum, & nunquam petitionem suam frustrandam. *Psal. 101.*

*Vbi fuerit superbia, ait Prouerbiorum auctor, Prou. 11. ibi erit & contumelia, vbi autem & humilitas, ibi & sapientia.* Designat autem prouerbiũ hoc Sacerdotes gloriabundos, præ pudore emori debere; at qui se humiliant, verè se sapientes ostendere.

Hinc Ephesius ait Apostolus, *Obsecro itaque vos ego vinculus in Domino, vt dignè ambuletis, quæ vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine cum patientia.* Insignis haud dubiè exhortatio, *Ephes. 4.*



hortatio, sed quæ directè Sacerdotes respiciat, quorum est præ ceteris hominibus iuxta vocationis suæ dignitatem ambulare, cum omni patientia, mansuetudine, humilitateque alijsque Christianis virtutibus.

S. Basilius de humilitate sermonem insistens ait, *Humilitas est tutissimus virtutum omnium thesaurus, atque omnium diuitiarum supernaturalium reconditorium.* Hisce ego verbis insistens dico, virtutum thesaurum illum diuitem & bonis supernaturalibus opulentum esse, qui humilis fuerit, ac si humilitate caruerit, periculo expositum esse, & extremum cum inopia conflagrare.

De ord. vica. *Humilitas patientiæ mater.* Sanctus Bernardus quoque de huius virtutis dignitate loquens, eam custodem pudicitiae, & matrem patientiæ appellauit, ad eam ut sine hac non aut castus aut pudicus, aut patiens esse queat. Sacerdos qui humilis est, semper pudicus est, & omnia æquo animo sustinet; at qui superbia inflatus est, semper se impatienter gerit, vitamque pudiosam viuit.

l. 7. c. fin. & coll. 18. c. 13. Bernard. *serm. 1. de Natini.* Virtutum fundamentum est. Rectitudinis magistra. Cassianus egregium quoque huius virtutis elogium concinuit, dum illam omnium virtutum magistram, & celestis ædificij firmissimum fundamentum appellauit. Quicumque igitur Pastor maximum virtutum ædificium construere vult, ab humilitate, velut à fundamento & basi rerum omnium spiritualium exordiat.

Gregorius quoque suam sententiam profert, tradidit, humilitatē esse legum directricem, omniumque rectitudinis magistrā, ad eam ut sine illa non via, nec iustitia sit. Et profectō sacerdos, qui arrogantia tumet, omnem æquitatem prætergreditur, at qui se humiliat, ad iustitiæ se leges quàm profectō conformat.



Idem Cassianus iterum in scenam prodeat, dicit enim, humilitatem omnium virtutum esse parètem, & totius spiritualis structuræ solidissimum fundamentum, è quo euincere vult, spiritua- lem structuram non posse firmam aut stabilem consistere, quæ humilitati non innititur.

Quid denique humilitate, exclamat Gregorius, sublimius, quid eadem maius? Sese enim demit- tens, cum auctore suo coniungitur qui in excelsis habitat, & supra mundi residet cacumen: nam dum se humiles deiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt. Humiliate vos igitur Sacerdotes, ac dii quidam efficiemini, deiicite vos, se filij Altissimi esse, & naturam vestram cõmutare volueritis.

Dicebat S. Ephrem, eos qui humilitatem complectuntur, diaboli laqueis irretiri non posse, atque hanc virtutem alas ad eò leues & pernices hominibus addere, quibus tam velociter se in sublime efferant, dæmones vt eos attingere nequeant. Nihil aduersus Sacerdotes humiles efficere diabolus potest, at qui superbi & inflati sunt, illius potentia & insidiis expositi patent.

Dicebat etiam S. Bonauentura, quò Sancti & iusti magis magisque in virtutum via procederent, & maiores in sanctis exercitiis progressus facerent, eò se humiliare etiam profundius; quia dùm luci proximi fiunt, quidquid eos in seipsis latebat, inueniunt. Et verè ita se res habet, iustitiam scilicet & humilitatem semper sub vno iugo incedere, & quò Sacerdos iustior, eò etiam de se sentire demissius, defectus enim proprios tunc videt clarius, & particulares imperfectiones perfectius inuenitur.

Quo Sancti omnes passu, & præsertim Sacerdotes in visione Dei progrediuntur, & in rerum æternarum nis signum.

Coll. 19. c.

17. c. coll.

19. c. 2.

Mater virtutum.

3 p. pass.

adm. 18.

Nihil humilitate maius.

derelicta via

ratione

c. 8.

Humiles à diabolo capi nequeunt.

Eo homo se magis humiliat quo iustior.

In pharet.

lib. 1. c. 34.

de reform-

ment. c. 10.

ex S. Greg.

l. 32. Moral.

Humilitas

perfectio-

nis signum.



*S. Greg. l. 18.* narum scientia proficiunt, eodem & in suis  
*Moral. c. 27.* contemptu, & nihil itatis cognitione procedunt  
*& l. 38. cap.* Tunc primùm enim legitur Abraham Patriarcha  
*2. & S. Bo-* se cinerè appellasse ac puluerem, quando cū Deo  
*nav. in Phat.* locutus est, diuinorūq; colloquiorū factus est pa-  
*l. 2. c. 29.* ticeps. Quantum te igitur, Sacerdos qui quoties  
 cum Deo loqueris, quique apud maiestatem eius  
 maiore benevolentia auctoritateq; polles, quàm  
 omnes olim Patriarche, humiliare ac deicere  
 est, ut hinc euidenter pateat, quantopere in diu-  
 nitatis schola profeceris?

Quando, dicebat S. Basilus ad summos Sacer-  
 dotij gradus ascendes, tunc simul te dimitte,  
 Quo Sa- dimissus de te sentias; terreat enim te filiorum  
 cerdos al- Aaronis exemplum, & scias cognitionem pietatis  
 tior, eo sit Aarons exemplum, & scias cognitionem pietatis  
 humilior. esse cognitionem humilitatis; nam se animo fecit  
*Serin. de ab-* subicere, & naturam subiugare, Christum esse  
*dic. seculi,* re imitari. ille autem verè filium Dei imitatur  
*& S. Berna.* qui infinitè se humiliat.

*Epist. 42.* Functiones igitur vestras cum omni humilitate  
 Potentia exercete Sacerdotes, & munus vestrum  
 cum hu- militer obite, inque ministerio ad quod vocati  
 militate tractari debet. stis, diligenter incumbite cum Spiritu humili,  
 anima ab omni arrogancia libera; obedite diuinis  
*Isidor. in si-* legibus supremæ voluntati non reluctando. In  
*nonim. c. fin.* inferre vult, potentiam ac magnitudinem cum  
*dist. 100. c.* omni humilitate & modestia tractari debere.

*Contra mo-* Sed cogitate Sacerdotes quod dixit olim ma-  
 rem. gnus ille Mercurius Trismegistus, quod quicum-  
 Qui se a- que se cognouit (quod initium humilitatis est) ho-  
 gnoscit, manos limites transeat, & ad diuinitatem usque  
 Deus est & pertingat. Beatus igitur ille qui se cognoscit & di-  
 non ho- missè de se sentit: ita enim homo fit Deus, & mira-  
 mo. bili quadã metamorphosi in diuinã naturã transi-  
*In Piman-* Eiusdem quoque rei mentionem faciès Berna-  
 dro. drus



lus, ait Sacerdotem, interim dum se nosse incipit, inque vndique circumspicit, animæ partes excutendo, in aliis nihil omnino quærere quod reprehēdat aut cōarguat; satis enim multa in seipso deploranda reperit, seseque detestari incipit.

Eundem quoque scopum feriens S. Gregorius dixit, *Ex consideratione priorum defectuum conseruatur humilitas in virtutibus.* Hic vos docet, Sacerdotes, si sapius esse vestrum excutiatis & perambuletis, defectusque vestros propius perspiciatis, & ipsum nihil quod vobis proprium est, humilitatem haud dabiē induturos.

In eo verò perfecta ac genuina sita est humilitas cū exhibita gloria cōtēnitur & exhibēda nō appetitur ait magnus Albertus. Nā qui vere humilis est, nec maioribus nec minoribus, nec etiam æqualibus se affimulat, imo sibi firmiter persuadet, nullos in mundo se inferiores esse, seseque omnium minimum censet; denique neminem contemnit.

Humilitas denique virtus est, qua fit vt homo seipsum verè cognoscens, sibi ipsi displiceat, vilis reputari velit, sui que contemptu gaudeat, ait Sanctus Bernardus.

Hæc omnia considera, Sacerdos, atque ad hanc normam actiones tuas efforma ac dirige; cumque ad altaris ministeriū vocatus fueris, ait S. Isidorus Pelusiotæ, vocationem tuam legibus officij tui attempera, te benignum omnibus & humilem exhibendo, & cogita, non esse tribunitium quoddam aut ciuicum munus tuum, nō imperium quoddam turgidum, non regnum inflatum pompis, & insolens, sed humile & pacatum ministerium. Quo maiores, clerice, quo sublimior, quo caput dimittere submissius debes & te deicere profundius, ad arborū pomiferarū exemplum, quæ quò fructibus

Qui nouit seipsum alios non capit.

*De bene viu. modo serm. 54.*

*Lib. 28. Moral. c. 6.*

Sui ipsius confideratio humilitatem gi-

gnit.

In quo vera sita humilitas. *in paradys. anim.*

Humili contemni gaudet.

*de grad. humil. & contempt. propr.*

*excell. & epist. 42. & in cant. ser.*

16.

Officium Sacerdotis

officium paucis

vult illum humilem.

*Epi. 157. l. 1.*

magis



*Ecl. 11.*

magis onusta & grauata sunt, quo ramos dimittunt magis, vt ad terram penè propendeant. quò alludens sapiens ait, *In die honoris tui ne extollaris.* Perinde ac si diceret, Sacerdotales illi honores & superbiam te non concitent, nec te reddant inuolentio rem dignitates grandiores oblata.

*Ecl. 32.*

*Rectorem te posuerunt; noli extolli,* scriptum est in Ecclesiastico, *esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Te verò, Sacerdos, Diuina maietas in Ecclesia sua ad animas gubernandas dirigenda s̄que constituit.

Quo Deus Sacerdotē tollit sublimius quò se dimittat magis.

noli propterea extolli, & quo magis te celum extollit, Deus s̄que te amplioribus cumulat honoribus, eò senti de te ipso submissiùs.

*Ecl. 35.*

*Oratio humiliantis se penetrabit nubes,* ait Sapiens iam olim. Vestrum verò est Sacerdotes, orantes & si submissè de vobis ipsis senseritis, vora vestrarum & preces nubes penetrabunt.

Humilitas in precibus iuuat. *1. Theff. 2.* Sacerdotes magni cū sint fient parui.

Apostolus Theffalonicensibus scribens dicebat, *facti sumus paruuli in medio vestrum,* non verò ait, *sapimus,* aut inflatos animos ostendimus. Docentur hic Sacerdotes, quod, quamuis eorum dignitas magna sit, se ipsos tamen magnifacere non debeant, sed humiliter de se sentire, quamuis etiam summos in Ecclesia honores obtineant.

*Iac. 4.*

*Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabitur vos,* ait S. Iacobus Apostolus. Vobis hoc dicitur, *putate Sacerdotes,* cum que quotidie in conspectu Domini versemini, coram eo vos humiliate, vos tum in terra tum etiam in cælo extollat.

Humiles a pud Deum gratiam inueniunt.

*Quantum magnus es, humilia te in omnibus, & exaltabitur te Deus inuenies gratiã,* quoniã ab humilibus honoratur. Hanc lectionem discite Sacerdotes, quam scilicet maiores estis, tantò vos dimittite prolixiùs, sit modò propitium ac beneuolum sentiat Deus, sit modò propitium ac beneuolum sentiat Deum velitis, & gratiam coram eo inuenire.



*Nec superbi placuerunt tibi Domine, dicebat o- tudith. 9,*  
*rans Iudith, sed humilium & mansuetorum semper Humilium*  
*tibi placuit deprecatio. E viduz huius oratione in- preces Deo*  
*ferendum est, Sacerdotes superbos Deo displice- placent.*  
*re, & solas humilium preces illi gratas & acce-*  
*ptas esse.*

*Nome cum esses paruulus in oculis tuis, caput in Qui seip-*  
*tribus Israel factus es? obiecit olim Sauli Deus. sos paruos*  
*quibus verbis velut prognostico prædocuit, illos faciunt,*  
*qui se dimittunt & paruifaciunt, à cælo extolli & Deus facit*  
*magnifieri: ac præsertim Sacerdotes; qui cum se magaos,*  
*imperio & dignitate indignos reputant, tunc à I. Reg. 15.*  
*Deo duces & rectores constituuntur.*

*Hancigitur virtutem amplectamini, Sacerdo- Sacerdos*  
*tes, tam pretiosum vobis monile adoptate, tam humilis sit*  
*solido fundamento ædificium vestrum superim- in verbis &*  
*ponite, estote humiles corde, humilitatemque operibus.*  
*tum verbis tum potiùs re ipsa demonstrate: qui e- climat. gra-*  
*nim in verbis humilitatem non spirarit, is nec in du 4. de*  
*operibus eamdem præferet. obed.*

## CAPVT XI.

*Sacerdotes animo pacato & tranquillo sint.*

*S* *Pax, quies, ac tranquillitas mundo necessaria Pax Sacet-*  
*est, in Sacerdotibus imprimis eadem requiri. dotibus*  
*tur, quorum animus semper quietus, semper necessaria.*  
*gandere malacia, nunquam turbari, aut bellis in-*  
*quietudinumque angoribus distrahi debet: pax e- S. Basilii.*  
*nim & mansuetudo pietatis indicia sunt, & eui-*  
*dentes animæ sanctæ characteres.*

*Impiorum*  
*Isaias vitam impiorum describens, animã illo- mens sem-*  
*rũ velut mare tēpestatibus & procellis obnoxii per inquis-*  
*semper exætuare & efferuescere dicebat, Cor im- ta.*  
*pũ sicut mare feruens. Quod euidenter demon- Isai. 57.*  
*strat,*